



divitis epulonis, sive a bivio praefato sursum; nec est imaginandum, quod mons Calvariae sit altus locus, supereminens alios in circuitu, quia tam ad occidentem quam ad meridiem sunt altiora loca, quam ipse sit. Sed dicitur mons respectu locorum illorum, a quibus est ascensus ad eum, ut dictum est. Et tantum de illo. Plura vide de hoc monte fol. 115 et sequenti, et fol. 255.

Descriptio ecclesiae sancti sepulchri et ejus dispositio.

Ecclesiam sive templum sancti sepulchri descripturi videbimus quatuor. I. Quis eam fundaverit? II. Quantae gloriae et honoris olim fuerit? III. Qualis nunc sit? IV. Qui sint eam inofficiantes et differentiae eorum, qui in ea Christum colunt. Et ex his quatuor resultabit ejus plenaria descriptio, et per consequens ejus cognitio.

(B) Quis fundator fuerit ecclesiae sancti sepulchri, et quoties destructa et reparata fuerit.

Templum dominici sepulchri quis aedificaverit ambiguum est propter varietates de hoc loquentium. Aliqui opinantur, quod illa ecclesia fuerit templum Veneris, quod Helius Adrianus imperator super locum crucifixionis et resurrectionis extruxerat, et Sancta Helena superveniens idola ejecit, et domum Christo dedicavit.

Aliqui dicunt, quod templum praefatum funditus evertit, et ecclesiam illam erexit. Legimus etiam in libris bellorum Christianorum et Sarracenorum, quod templum sancti sepulchri saepe per infideles fuit eversum, et per fideles reerectum. Cosdroë hoc templum conabatur evertere, sed territus divina virtute fugit ab eo. Dum autem Tartari sanctam terram et Jerusalem occuparent, capta civitate templum sancti sepulchri dicuntur evertisse. Sed non multo post imperator constantinopolitanus venit in Jerusalem, et templum reaedificavit eo modo, quo prius fuerat. Post hoc Sarraceni furentes in Christianos ultionem in templo sumserunt, et templum everterunt funditus. Sed quidam imperator constantinopolitanus reerexit.

353

351

357

347

362

342

402

302

452

252

Ende

Anfang